

CAPUT XXXVIII. SANAE GLORIAE SUMMUM PERICULUM.

Sermo autem ore procedens, et facta, quae innotescunt hominibus, habent tentationem periculosissimam ab amore laudis, qui ad privatam quamdam excellentiam contrahit emendicata suffragia; tentat et cum a me in me arguitur, eo ipso, quo arguitur. Et saepe homo de ipso vanae gloriae contemptu vanius gloriatur; ideoque non jam de ipso contemptu gloriae gloriatur. Non eam contemnit, cum gloriatur intus.

CAPUT XXXIX. DE VITIO EORUM, QUI SIBI PLACENTES DEO
DISPLICENT.

Etiam intus est aliud in eodem genere tentationis malum, quo inanescunt, qui placent sibi de se, quamvis aliis vel non placeant, vel displiceant, nec placere adfectent caeteris. Sed sibi placentes multum tibi displicent, non tantum de non bonis quasi bonis, verum etiam de bonis tuis, quasi suis; aut etiam sicut de tuis, sed tamquam ex meritis suis; aut etiam sicut ex tua gratia, non tamen socialiter gaudentes, sed aliis invidentes ea. In his omnibus atque hujus modi periculis et laboribus vides tremorem cordis mei; et vulnera mea magis subinde a te sanari, quam mihi non infligi sentio.

CAPUT XL. SOLUS ANIMAE TUTUS LOCUS IN DEO REPERIENDUS.

Ubi non mecum ambulasti, veritas, docens quid caveam et quid adpetam, cum ad te referrem inferiora visa mea, quae potui, teque consulerem? Lustravi mundum foris sensu, quo potui, et attendi vitam corporis mei de me, sensusque ipsos meos. Inde ingressus sum in recessus memoriae meae, multiplices amplitudines plenas miris modis copiarum innumerabilium, et consideravi, et expavi, et nihil eorum discernere potui sine te, et nihil eorum esse te inveni. Nec ego ipse inventor, qui peragravi omnia, et distinguere et pro suis quaeque dignitatibus aestimare conatus sum, exci-